



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniæ, 1611**

XVI. De schismate romanæ ecclesiæ, & q[uam] viriliter catholica[m]  
parte[m] defenderit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)



quium piæ matris ipsius venire tentabo, cum blasphemis hostibus eius blanditus fuero? Quomodo pessimis inimicis ipsorum amicus effectus, ipsis placere valebo? Quomodo illo ore, quo pecuniarum vel cuiuslibet rei causa, eis blanditus fuero, ipsos inuocare vel deprecari audebo? Videte igitur ne de his vltcrius quæstio fiat. Soluite citò quicquid eis debetis, & velut æterna lege præfixa, ab vniuersis eorum commercijs deinceps abstinete. Sic fidei zelo deuotus homo repletus, & contractus illos inhibuit, & quid amoris in intimis cordis sui, Christo Domino suo seruaret, ostendit.

*De schismate Romana ecclesia, & quam viriliter catholicam partem defenderit.*

## CAPVT XVI.

**H**ANC suam erga Christum & eius ecclesiam fidem, maximè illo tempore probauit, quando schismaticus furor contra vnus colubæ, hoc est eiusdem ecclesiæ vnitatem altare prophanum erexit. Diuisa erat, immò discissa, Romana prius, dehinc tota Latina Ecclesia, & primò ex magna sui parte, vi & pecunia intrusum Leonis filium se-

que-



quebatur. Restitit ille cum quibusdam  
 socijs fortiter, & quod non plantauerat  
 pater coelestis, eradicare totis viribus con-  
 tendebat. Ea de causa cum Pontifice suo,  
 immò cum communi Papa Innocentio,  
 vrbe expulsus, multa que iustitiæ causa  
 perpessus est. Inde per Tyberim mare in-  
 gressus, ad Gallias venit. Vbi primum  
 ab eodem Domino Papa Innocētio, Clu-  
 niacensi noua & maiore consecrata Ec-  
 clesia, ac gemino concilio, alio Claromō-  
 ti, alio Remis celebrato, totā (excepta par-  
 te Aquitanix) Galliā, Hispaniā, Angliā,  
 Germaniam, sibi, immò Christo, studio  
 præcipuè Matthæi, Papa iam dictus vni-  
 uit. In quibus partibus diu Matthæus cū  
 ipso cōmoratus, per Alpes ad Italiam Pi-  
 sas vsque, vbi & prius aliquam diu man-  
 serat, cum eodem regressus est. Occupa-  
 bat adhuc sedem Apostolicam Leonis fi-  
 lius Petrus, & leonini catuli contra partē  
 catholicam sæuiebant. Permittebat hoc  
 Christus, & qui Antichristum, schisma-  
 ticorū omniū caput, in templo Dei sedere  
 permissurus est, & suos exulare, & sedem  
 Petri à non suis occupari sinebat. Ea pro-  
 pter mansit reliquo vitæ suæ tempore  
 Pisis cū Innocentio Papa Matthæus, nec  
 ei vrbe vel sedē propriam reuisere facul-  
 tas



tas data est. Quo toto tempore, in nullo retrocedens, semper seipso melior virtutum profectu fiebat, & sacris semper studijs occupatus, quanto fini propinquior, tanto virtutibus exercitior apparebat.

*De fine ipsius miris insignibus glorioso.*

CAPVT XVII.

**D**E quo eius sine aliqua subdere, quia iam rei series, vel processus admonet, differre ultra non debeo. Possent quidem adhuc plura de ipso digna memoria literis tradi, sed quia hoc occupatio prohibet, illud saltem in quosuis vel nostris diebus parem non habuit, tacendum non est. Non ignoro equidem, suis illis nostrisque diebus bonæ vitæ multorum bonorum finem optimum successisse, sed quantum ad aures meas peruenire potuit, nullius iam dicto tempore transitum, miris insignibus sic contigit claruisse. Missus fuerat Benedictus vir à Domino Papa pro pace reformanda Mediolanum, & maximam post Romam Italiæ urbem, unitati ecclesiæ, à qua per Anselmum schismaticum defecerat, reddere festinabat. Dedit citò Deus optimū successum eius labori, & multos Ligurię popu-